



Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Cæcilia V. Et M. 22. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

640 *Vitæ Sanctorum.* 21. NOV.
ægros è lectulo surgere & flagellare
frumentum jussit. Et verò laboris fru-
ctum sanitatem tulerunt. Mitto alia
mira, sed non illud ; ut subjiceret Chri-
sto plures animas allaboraret. CO-
LVMBANVS, Angelum illi. Tutela-
rem in membrana orbem, (magnum
virtutis stadium) ostendisse. Quid, ad
quid nos igitur agimus, quibus non
jam unum, sed geminum stadium, ge-
minum inquam orbem Superi explic-
cant ? *Ex Iona.*

S. CÆCILIA V. ET M.
22. Novembris.

SI quæris, quod intercinentibus Or-
ganis CÆCILIA carmen dederit, il-
lud respondeo, quod unæ, quæ Agnum
sequuntur, virgines sciunt modulan.
Itaque quo die homini in manus dan-
da erat, nuptialem vestem cilicio a-
strinxit, quo nobiliorem virginitas non
habet zonam. Noctu sponsum Valeria-
num montuit, caveret pudori suo ma-
nus inferre, cuius longè fortissimum
custodem è cælo Angelum habecet.
Hunc coram intueri cum ille percupe-
ret, suasit impuros à superstitione oculos
sanctori priùs baptismatis unda
elueret. Eluit, & voti mox compos for-
mosissimum multaque luce vestitum.
Ephebum vidi, qui fertu nobili u-
trumque coronavit, & precantes mito
odore

23.NOV. : *Vita Sanctorum.* 641
odore perfudit. Et fecit hic odor post
Christum currere etiam Tiburtium.
Valeriani germanum , amboque ita in
stadio Christiano cucurserunt, ut bra-
yium martyres obtinerent. CÆCILIA
e balnearum , quas tyrannus succende-
rat, flammis pulchrior, tribusq; in col-
lo vulneribus velut totidem monili-
bus ornatior, cum triduum supervixi-
set, ædesque suas in templum vertisset,
martyrum vestigia velut paranympho-
rum insistens , cælum & ipsa petiit , &
Agno denique nupsit minimè sterilis
virgo, ut quæ moriens uno partu Chri-
sto CCCC. peperit. Ex Metaphr.

S. CLEMENS PAP. M.

23. Novembris.

PROdiit CLEMENS è D. Petri scho-
lā : Virtutis primo magistri, tum in-
fulæ etiam hæres inter Pont. Max. ter-
tius numeratur. Impietatis sub Traja-
no accusatus, & in exilium ultra Euxi-
num Pontum deportatus, munere suo
nec in eâ quidem fortunâ oblitus est
fungi; docuitque bis mille Christianos,
quos ad Latomias tyrannus damnave-
rat , præter saxa è terrâ patientiam
eruere, ad quam verbis & exemplo ere-
xit, & miraculis firmavit. Etenim cùm
aqua dulcis penuria laborarent, eamq;
petere per V.I. millaria cogerentur,
CLEMENS è proximo manare copio-

SS Sam